

## Band VIII., Nr. 3004, Seite 247-248

*Bernold von Tübingen stiftet zu seinem und seiner verstorbenen Ehefrau  
Luitgard Gedächtnis 2 Jahrzeiten im Klarissinnenkloster Pfullingen.*

Ohne Ortsangabe, 1280. November 22.

Universis Christi fidelibus presentes visuris Bern[oldus] de Tuwingen salutem cum notitia rei geste. Quia omnis res fere sine exitu futura est propter naturalem hominum facilitatem ad dissentiendum sicut dicitur nulla, sane ideo huiusmodi facilitati quantum possum obviare cupiens, ut, quod pro redemptione peccatorum feci, non immutetur et a memoria non excedat, scripto duxi studiosius commendandum. Noscant itaque tam presentes quam futuri, quod ego pro meorum et Luitgardis quondam uxoris mee redemptione peccatorum religiosus in Christo dominabus . . . abbatisse et conventui ordinis sancte Clare in Pfullingen predium quoddam situm in Ummenhausen, quod annuatim solvit XXXII solidos Hallensium cum undecim pullis gallinarum in nativitate beate virginis persolvens, contuli post mortem meam sub hac forma, videlicet ut de predictis redditibus proximo die post Nicolai perpetuo singulis annis evolutis pro XX solidis fiat consolatio conventui in piscibus et vino copiose, illo die mei recordationem piam facientes sorores prefate, et si ipso die expendi non potest, sequenti die conventui residuum ministretur. De residuo vero proventu redditus predicti octo solidi pro lumine infirmorum cum undecim pullis, quos infirmi comedere debebunt, convertantur, reliquos quatuor solidos eiusdem redditus magistra operis recipere tenebitur suis usibus adaptandos. Preterea predium quoddam situm in Sikkenhausen, quod annuatim solvit III modios siliginis Rutelingensis measure et unum modium avene, predictis dominabus post mortem meam contuli taliter, ut omni anno in vigilia sancta pasche predictos redditus in piscibus et vino habundanter expendant, et si quippiam superesse contigerit, in die crastino largius dispensetur, et fiat illo die memoria Luitgardis predictae. Sed ut prelibata in sua sint ordinatione firmiora, duas sorores assignari michi volo, sororem videlicet Luitgardim dictam Spanlin et dictam Rihilt de Gamundia, et ut una mortua alia in proximo capitulo substituat, que curam habeant de premissis, ut fiant et ad alios usus non applicentur. Ceterum ego Bern[oldus] cum fratre Heinrico de Pfullingen emi predictis dominabus centum gallinas, que nunquam deficere debent, assignans eis in Hiltrathausen XVI maltera avene Herrenbergensis measure et XV solidos Hallensium pro predictis gallinis sustentandis et restaurandis et de hiis soror Ellin curam habere debet, ipsa quoque mortua alia in proximo capitulo substituetur ex conducto. Ut autem in suo statu et

## II

ordine singula prelibata permaneant, presentes confici placuit et sigillo dicte abbatisse et conventus robore communiri.

Actum anno domini MCCLXXX., X. kalendas Decembris.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Abhängend Siegel des Klosters Pfullingen s. WUB, Bd. VII, S. 238.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

A 514 U 140

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Ohne Ortsangabe

**Ortsindex:**

Herrenberg Wohnplatz (118)

Herrenberg, BB

Hildrizhausen Wohnplatz (130)

Hildrizhausen, BB

Immenhausen Wohnplatz (16130)

Immenhausen, Kusterdingen, Tü

Pfullingen Wohnplatz (15957)

Pfullingen, RT

Reutlingen Wohnplatz (15981)

Reutlingen, RT

Schwäbisch Gmünd Wohnplatz (4879)

Schwäbisch Gmünd, AA

Sickenhausen Wohnplatz (15984)

Sickenhausen, Reutlingen, RT

Tübingen Wohnplatz (16214)

Tübingen, Tü